

IOS *In Christiano Vetus homo* CAP. 15.  
ram, odium, invidiam, mendacium,  
perfidiam, injustitiam, pravamq; con-  
cupiscentiam amat. Quæ dubio pro-  
cul non amanda sunt ei, non excusan-  
da velandaque, sed aperto professoq;  
odio prosequenda, mortificanda & ab-  
neganda, qui Christi velit esse discipul<sup>9</sup>.

### CAPUT XV.

IN VERO CHRISTIANO OPOR-  
tere veterem hominem quotidie mo-  
ri, novum autem renovari; quid item  
sit seipsum abnegare, & quænam  
sit vera crux Christi.

*Luca 9. Si quis vult post me veni-  
re, abneget semetipsum & tollat  
crucem suam & sequatur me.*

**V**ERBA sunt B. Pauli ad Ephes. 4. de  
veterem homine. *Deponite secundum  
pristinam conversationem veterem  
hominem, qui corrumpitur secundum desi-  
deria erroris. Renovamini autem spiritu mē-  
tis vestrae: & induite novum hominem, qui  
secundum Deum creatus est in justitia &  
sanctitate veritatis. Causam autem expri-  
mit 1. Cor. 6. Emti enim estis pretio magno  
proinde glorificate & portate Deum in cor-  
pore vestro. Quid sit autem vet<sup>9</sup> homo,  
modo dixim<sup>9</sup>, superbia puta, avaritia,  
libi-*

*Vetus  
homo  
quid.*